

DISPUTATIO THEOLOGICA

Pro vii. Art. Libri Concordiæ.

De

COENA DOMINI

QUAM

DEO Opt. Max. Benedicente

P R A E S I D E

M. GEORGIO C. ALANO

In Regia Academia Aboënsi S. S. Theologiæ Professore Primario, & utriusque Ecclesiæ Aboensis & Nummensis Pastore.

Publicè examinandam proponit,

LAVRENTIUS JOHANNIS
HINSBERGIUS WASBOENSIS
S. R. M^{tis}. Stipendiarius.

Ad diem Februarij, Anni 1654. horis
Matutinis, in Auditorio Majori,

*Augustinus Lib. 3. contra Donat. c. 14. *Habent.**

Nihil interest, cum de sacramento integritate & sanctitate tractatur, quid credit, & quali fide imbutus sit ille, qui sacramentum accipit. Interest quidem plurimum ad salutis viam: sed ad sacramenti questionem nihil interest: Fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem.

A B O È.

Excusa Typis Academiæ apud Videlam Petri Wald.

1482

*Amplitudine, Reverentia, longo usq[ue] experientia,
spectatissimis præstantissimis & Humanissimis Viris,*

DN. ERICO Schwing. per legiōnēm ordinis Equestris Logistæ prudentissimo & expeditissimo.

DN. LAURENTIO WIGELIO
Regij Parlamenti Aboensis Actuario dexterissimo,
jugiter honore prosequendo.

DN. HENRICO G. Lautz / Pastori in Noviss per-
vigili indesinenter colendo.

DN. JOHANNI MATTHIÆ Rößman /
per Legiōnēm ordinis equestris Pastori
meritissimo.

DN. WILHELMO Dawi⁹ negotiatori Civitatis
Aboensis primario, nec non nutricio suo Liberalissimo.

DN. ALBERTO DAVIDIS In Noviss
Commissario fidelissimo.

*Dominis Mecenatibus, Fautoribus & benefactoribus iugi
observantia suspiciendis ac honorandis, hanc Disputa-
tionem Theologicam dedico & offero.*

Laurentius J. Hinsbergius,

DISPUTATIONIS

De

COENA DOMINI

Thesis I.

Inter plurima de Christo *De avogōnī*
ejusque officio vaticinia, & hoc probē
ponderandum venit; *ipsum lapidem al-*
lisonis, & rupem offensionis fore, Esa. 8, 14,
1. Pet. 2, 7. Et positum iri in signum, cui con-
tradicatur, Luc. 2, 34.

II. Quamvis autem hoc de Christo, cum in propria
veniret, impleri cæperit, siquidem *sui ipsum non recepe-*
runt, Ioh 1, 11. sed pro abjectissimo virorum habuerunt, Esa.
53, 3. Ipsum de monte precipitare, & lapidibus obruere volue-
runt, Luc. 4, 29. Ioh. 8, 39. Flagellari permiserunt, Ioh. 19, 1.
tandemque cruci affixerunt *Luc. 23, 33. tamen id hoc no-*
stro tempore haud minori impetu & furore præstant
homines phanatici, quorum alias *naturas Christi, alias*
officium, alias Sacra menta arrodit, suisq; somniis flagellat.

III. Relictis & omissis hoc loco duobus prioribus,
cum ultimis nobis nunc, ordine Form. Concord. quem
sequimur, jubente, erit disputatio, & quidem cum illis,
qui se fratres nostros Cainino ore jactitant, siquidem
consensum inter D. Lutheri & Iohannis Calvini religio-
nem haud difficulter ostendi posse, audaci calamo scri-
pitant. Verum illud tunc præstabunt, quando album
nigrum, diem noctem esse probare potuerint,

IV. Horum pater & antesignanus nostrorum avo-
rum temporibus fuit Andreas Carolitadius, homo (phis-
lippi sunt verba in Epist. ad Mycon) ferus, sine ingenio,
sine doctrina, sine sensu communis, qui nullum unquam humani-
tatis officium aut intellexit, aut fecit ille inquam. Anno. Chri-
sti 1525. non aliqua pietatis opinione sed odio tantum B.
Lutheri Controversiarum flamas de Cœna accendit,
sibique pallium quæsivit, recurendo ad verba Christi:
Hoc est corpus meum, quæ sic secundum sua somnia expos-
sunt; *Hic sedet corpus meum*, referente Sleidano de Stat.
Relig. Lib. 5.

V. Ne verò splendidis & magnificis adversiorū verbis
decipiamur, diligenter observandum, monente Form.
Concordiae, duo esse Sacramentiorum genera. Qui-
dam enim sunt crassi & aperti, qui perspicuis & claris
verbis id aperte profitentur, quod corde sentiunt, quod
videlicet in Cœna Domini nihil amplius, quam panis &
vinum sint præsentia, ibique distribuantur & ore percipi-
plantur: Alii autem sunt versuti & callidi, & quidem
omnium nocentissimi Sacramentarij, qui affirmant, se
plane nihil aliud sentire, quam quod Dominus Jesus
Christus verè substantialiter, vivus in S. sua Cœna præ-
fens sit. Hoc autem intelligunt ipsis tantum de di-
viina Christi natura: Concedunt quidem corpus & san-
gvinem Christi in Cœna distribui & sumi, sed spiritua-
liter, non carnaliter; corde, non ore; panem & vinum
sumi ore corporis, corpus autem & sanguinem Christi
ore animæ, hoc est, ut ipsis explicant, vera fide.

VI. Quâ suâ παρεγγια litem nobis movent gra-
vissimam, & pignus salutis, preciosissimumque Eccles-
iae Christi thesaurum, quantum in ipsis est, verè fide-
libus eripere conantur. Dolendum enim est, sacram
hanc

Hanc Cœnam, à Salvatore nostro eo fine institutam, ut sit non tantum certissima ob-signatio remissionis peccatorum; verum etiam symbolum concordiae & dilectionis; per impudentem & importunam hominum curiositatem, Diabolo impulsore, factam materiam litis & discordiae.

VII. Cumque Sacramentarii omnis generis astu, vulpinaque versutia, Ecclesiam Dei denso erroris nimbo in hoc controversiae puncto obducere satagant, veramque lucem caliginosis proprii cerebri nebulis obfuscare nitantur, opera precium omnino fuit, ut vera orthodoxorum sententia ob oculos poneretur, ne subtili suâ versutiâ & pelle ovina oviculas Christi decipiunt, & simplicioribus fucum faciant. *Nam intrinsecus sunt lupi rapaces, Matt. 7,15*

VIII. Nostri ergo Theologi, ut Vertiginosam Calvinianorum uerbi partim in occultando, partim in variando statu controversiae, patefacerent, statum controversiae primarium his verbis in F.C art. VII. dilucidè proponunt: *Queritur, an in S. Cœna verum corpus & verus sanguis Domini nostri Iesu Christi verè & substantialiter sint praesentia, atq[ue] cum pane & vino distribuantur, & ore sumantur, ab omnibus illis, qui hoc sacramento utuntur: sive digni sint, sive indigni, sive boni, sive mali; sive fideles, sive infideles: ita tamen ut fideles è Cœna Domini consolationem & vitam percipiant: infideles autem eam ad judicium sumant?* Calviniani hujus questionis negativam defendunt; nos vero cum August. Confessionis & libri concordiae authoribus affirmativam constanter tuemur.

IX. In hujus status consideratione & expositione, quamvis plurimæ quæstiones excutti possint; tamen his thesis nostris, brevitatis studio, solum duas confide-

tabimus, quarum prior; **QUI** D nobis in Sacra Cœna;
posterior, **QUIBUS** exhibeatur, docebit.

X. Formula Concordiae, ut toti terrarum orbi vera de priori quæstione dispalescat sententia, hisce elegans, tissimis atque rore divino irrigatis verbis orthodoxam proponit sententiam. *Credimus, docemus, & confitemur quod in Cœna Domini corpus & sanguis Christi verè & substancialiter sint præsentia: & quod una cum pane & vino verè distribuantur atque sumantur.*

XI. Quibus verbis vera materia, in qua Sacramentum hoc Sacro sanctum consistit, exprimitur gemina; *Una terrena, panis & vinum; altera cœlestis, corpus & sanguis Christi.* Agnovit hoc ipsum Irenæus, assertens Eucharistiam ex duabus rebus constare, terrena & cœlesti Lib. 4. aduersus hæres. c. 34. Et Augustinus in Libro sententiarum prosperi ait: *Hoc est quod dicimus; hoc modis omnibus approbare contendimus, sacrificium scilicet Ecclesie duobus confici, duobus constare, visibili Elementorum specie, & invisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine.* Vocat autem S. Cœnam sacrificium non sensu Papistico, sed quia in hoc epulo participamus de corpore Christi pro nobis in crucis ara, tanquam victimæ, oblato.

XII. Panis autem ille, uti nos eo in nostris Ecclesiis utimur, non est spuma & nebula panis (ut aliqui illum malitiosè nominant), sed verus panis ex aqua & farina triticea subactis productus, qui virtute ignis pinnatur, ut sit cibus homini idoneus. Nam nullum adest mandatum divinum de quantitate vel qualitate panis Eucharistici; nec externa accidentia rei effientiam mutant. Vinum etiam verum, ex uvis expressum, quod est genimen seu fructus vitis, Matt. 26, v. 29. Luc. 22. 18.

XIII Nec corpus & sanguis Christi, Est typicus aut

aut imaginarius ut in Veteri Testamento, aut figuratus, ut adversarii somniant, sed corpus idipsum, quod pro nobis in cruce pependit, & ille ipse sanguis, qui pro nobis in ara crucis in remissionem peccatorum est effusus; hic in terris, ubi S. cœna administratur verè & substantialiter adest, distribuitur, atque à manducantibus & bibentibus sumitur. Non enim in Sacra cœna vel nudum panem, vel nudum vinum accipimus, sed cum pane sacramentaliter uitum corpus Christi, & cum vino sacramentaliter unitum sanguinem Christi. Firmiter itaque credendum tam vere præsentia esse corpus & sanguinem Christi in S. Coena, quam verè panis & vinum in sacra synaxi adsunt & distribuuntur.

XIV. Nec est quod verbum *substantialiter*, à Calvinis sequis nobis in ignorantiam obiectatur, quasi nos modum præsentiae hoc vocabulo denotemus, aut transubstantiationem defendamus atque confirmemus, aut, (*ut alij loquuntur*) delitescentiam localem & inclusionem corpusculi sub pane stabiliamus. Nam verus & pius Christianus, qui verba calumniari noluerit, facilimè intellegit, nos rejecta illa tropica imaginaria & speculativa, ab adversariis conficta præsentia; haec voce veram & realem substancialiter corporis Christi statuere præsentiam; qua Christus ille *Deus et homo* corpore & sanguine suo in Cœna adsit, aque ab omnibus hoc sacramento utentibus, mediantibus externis symbolis, revera ore corporis sive oraliter percipiatur; non naturali, sed supernaturali non Cyclopicō, sed nobis imperscrutabili modo. Symbola enim hic res ipsas averè continent, sed in mysterio, id est rationi humanæ incomprehensibili modo.

XV. Nostram hanc sententiam de præsentia corporis Christi in eucharistia invicte comprobant verba institutionis hujus sacramenti, ubi Christus, *in eius ore*

nullus dolus unquam inventus est. *Esa.* 53, 9. qui ipsa est veritas *Ioh.* 14, 6. verbis nervolis & claris inquit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Bibite; hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. *Matth.* 26. v. 26. Et seqq. *Marc.* 14, v. 22. & seqq. *Luc.* 22, 19. & seqq. *1. Cor.* 11, v. 23. & seqq.

XVI. Qui verò huc referunt cap. 6. Iohannis, quasi, & in eo de S. Coena agatur, longissimè à veritate aberrant. Nam pater id i. *Ex circumstantia temporis.* Concio Christi, quæ *Ioh.* 6. describitur, integrum annum præcessit institutionem S. Cœnæ; siquidem S. Cœna, teste Paulo *1. Cor.* 11, 23. non repetita; sed primum instituta est, in ea nocte, qua Christus est proditus. Quomodo ergo ibi tradi potuit declaratio verborum Cœnæ Domini? Num glossa sive explicatio antiquior & prior est textu?

XVII. 2. *Ex materia.* Nam in manducazione *Ioh.* 6. descripta non reperitur panis naturalis, siquidem vocabulum panis ibi Metaphoricè accipitur, nec ulla fit ibi mentio vñi. In Sacrae verò Cœnæ administratione requiritur omnino verus & naturalis panis, verum & naturale vinum, quæ thes. 12. diximus esse materiam & partem substantialem hujus Sacramenti.

XVIII. 3. *Ex Forma.* Vocabulum enim manducare *Ioh.* 6. Metaphoricè accipitur, & credere significat. Ideoque tantum spiritualem manducazionem denotat. In S. autem Coena vox eadem accipitur propriè, & significat talem manducazionem, quæ ore peragitur, quod ne ipsi quidem adversarii negare poterunt, siquidem panem eucharisticum ore corporis manducari concedere coguntur.

XIX. 4. *Ex Effectu & fructu.* Manducaatio *Ioh.* 6. descripta

scripta, semper est salutaris, adeoque necessaria ad salutem, ut nemo sine ea posse salvari, teste Christo, Ioh. 6, 53. At sacramentalis fieri potest ad judicium i. Cor. 11, v. 29. & absque mandatione sacramentali corporis Christi multos fuisse salvatos, non tantum in Veteri Testamento, sed etiam in Novo Testamento, ante & post institutionem S. Cœnæ, certissimum est. Latro pœnitens in cruce pendens salvatus est, nec tamen sacramentaliter corpus Christi manducavit. Similiter, ut nihil dicam de Martyribus, multi infantes baptizati, qui ante annos discretionis ex hac vita discedunt, salvantur, quos tamen sacramentaliter carnem Christi non manducasse, novimus. Quomodo igitur eadem manducatio utrobique intelligetur?

XX. 5. *A Tempore.* Manducatio corporis Christi, quæ Ioh. 6, præcipitur, omni potest fieri tempore, etiam extra usurpationem hujus sacramenti, siquidem homo pius extra usum S. Cœnæ non tantum credere potest, sed etiam revera credit. Atqui manducatio corporis Christi Sacramentalis non fit omni tempore, sed duntaxat in usurpatione hujus sacramenti. Ergo.

X XI. 6. Denique, si in S. Cœna nulla alia manducatio Corporis Christi est instituta, quam quæ Ioh. 6. describitur, sequitur Christum nullam omnino manducationem Corporis sui in S. Cœna instituisse, sed saltem mandationem Panis. Ratio Consequentiae est hæc: quia spiritualis illa manducatio Corporis Christi, de qua Joh. 6. est omnium temporum, & fuit in veteri Testamento, ante institutionem Cœnæ Sacræ. Non credimus adversarios negatueros, homines credidisse & veram fidem habuisse, tam in Veteri Testamento, quam in Novo, ante ipsam institutionem Sacræ Cœnæ. Si igitur

utrobique eadem est manducatio, sequitur adhuc nullam peculiarem corporis Christi manducationem institutam esse in S. Coena; quod est absurdum & Anabaptisticum.

XII. Cum itaque quævis doctrina ad sedem suam propriam referenda sit, indeque ejus explicatio & de eadem judicium defumi debeat, extra omnem dubitacionis aleam positum esse censemus, judicium de materia hujus sacramenti non aliunde perendum esse, quam ex illis scripturæ locis, in quibus ex professio de S. Domini Coena agitur. In illis namque locis fundamentum hujus articuli, continetur. Firmum etiam hoc manet, quod Joh 6. cap. de hoc sacramento non agatur; sed in in' illis locis, ubi Coenæ Dominicæ institutio describitur, quæ Thes. 15. allegantur.

XIII. In illis autem locis Christus de eo, quod accipitur & manducatur, Clarissime pronunciat, quod sit corpus suum, & quidem illud corpus, quod pro nobis est traditum in ara Crucis: similiter de eo quod ex calice benedicto bibimus aperte testatur Christus, esse sanguinem suum pro nobis in ara crucis effusum. Si igitur illud, quod cum pane ore manducamus, est corpus Christi, & quod ore bibimus ex calice est sanguis Christi, sequitur indubitanter, corpus & sanguinem Christi, verè & realiter adesse in his terris, ubi S. Coena peragitur.

XIV. Quocunque enim in coena Domini ore manducatur & bibitur, illud procul dubio verè & realiter adest in his terris. At corpus Christi ore manducatur, & sanguis Christi ore bibitur in Coena Domini, ergo verè & realiter adsunt in his terris, ubi Coena Domini celebratur. Major probatur. Nam quocunque ore manducamus, illud ipsum est etiam ibi, ubi manducatur. Quod enim non adest quomodo potest ore manducari?

ducari? nemo id quod non adest potest manducare. Minor ex verbis Christi est certa, ut ex Thes. 23. est manifestum.

XXV. Et cum in civilibus presumere non debeamus, testatorem in suo testamento aliud voluisse, quam verbis expressit. Nam si contrarium volebat, nulla erat difficultas scribere, leg. 3. de legat: Quæ quofo est demen-
tia statuere, Christum doctæ lingua Magistrum, in te-
stamenti sui institutione suos hæredes promissis legatis
defraudare voluisse? Quis est qui per fundos, bortos,
domos, legatas, signa duntaxat fundorum &c. sibi le-
gata esse credat?

XXVI. Nullum igitur tropum in verbis Cœnæ Do-
mini admittimus, nec admittere cogimur, quo signatum
de signo prædicetur, quia nullus talis tropus, in hisce
verbis substantiam Cœnæ concorrentibus, ab ulla Evan-
gelistarum proponitur, neque ullus fidei articulus vio-
latur, qui nobis necessitatem anno 78 p̄yrr̄ discedendi
imponat.

XXVII. Si enim figuratè verba Christi essent in-
telligenda, aut tropus esset in pronomine HOC; aut in
copula EST; aut in prædicato CORPUS; aut in tota præ-
dicatione. Sed in nullo horum reperitur, ut paucis vi-
debitis. Ergo in illis nullus tropus.

XXVIII. Non esse in pronomine HOC tropum vel
inde patet, quia alioquin incerta forent symbola sacra-
mentalia. Deinde id per vocabulum HOC intelligi-
tur, quod Christus discipulis porrigebat: sed id non fuit
nudus panis; alias enim Christus doctæ lingua doctor,
non 7870, sed 7875 dixisset, verūm panis & corpus Chri-
sti simul.

XXIX. Sed id forsitan ab surdum tibi videtur, quod
B 2 parti-

particula *τειμάνη τέτο*, non conveniat cum vocabulo
ἀρτός, in genere? Resp. Uno complexu *τειμάνη τέτο*
 sive HOC duo quæ conjuncta invicem simul exhibentur,
 exprimi, quorum dignius & sensui minus obvium, in
 prædicato tantum expresse indigitatur, juxta formulam
 loquendi tam in sacris, Gen. 2, 23. Ioh. 20, 22. quam in
 quotidiano sermone usitatissimam. Sic de dolio & vi-
 no dicimus: *Hoc est vinum Rhenanum, Gallicum, Hispani-
 cum &c.* Sic de marsupio & pecunia dicimus: *Accipe, hoc
 est pecunia, quam tibi debeo.* plura exempla à B. Luthe-
 ro allegata ex Tom. 3. Jen. fol. 487. Petantur.

XXX. Neque tropum esse in copula EST, inde elu-
 cescit. Primo quia tropus sedem tuam obtinet in voci-
 bus categorematicis, non autem consignificavis, quale
 est verbum illud, quod copulæ loco ponitur, quod ipse
 affirmat Keckerm. Syst. Theol. p. 445. Secundo quia Pau-
 lino dicto id repugnat, in quo affirmatur; panem esse
κοινωνίαν corporis Christi, i. Cor. 10, 16. Quomodo autem
 panis *κοινωνία corporis Christi* esse potest, si copula est,
 per significat explicitur?

XXXI. Neque tropum esse in prædicato, CORPUS,
 hinc Primo apertissimè colligitur, quod verum & substan-
 tiale corpus Christi, non autem signum ejus pro nobis in
 mortem sit traditum. Os enim veritatis ad discipulos
 ait: *Edite hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur.* De-
 inde si Christus non verè adest suo corpore in Cœna, lu-
 dicavit Apostolos & nos hodie, figuram saltem exhi-
 bens corporis, & corpus nominans. Tertio nullum di-
 scrimen esset, inter mandationem Christi spiritualem
 & sacramentalem. Quartò discrimen Veteris & Nœvi
 Testamenti, quorum illud umbram, hoc corpus ipsum
 habet, Hebr. 10, 1. tolleretur.

XXXII. Quod & Beza, veritate ipsi hanc voem eliciente, non diffitetur, iavolum. Epistolar. ad Allemanum Lugdunensis Ecclesiæ ministrum, Epist. 5. inquiens: *Verba illa; quod pro vobis traditur, & qui pro vobis effunditur, necessariò huc te adiungunt, ut de ipsamet corporis substantia intelligere cogaris.* Idem Polanus affirmat, quando dicit partit. Theolog. p 257, *Metonymia non est in predicato, quia per illud verum & naturale Christi corpus significatur.*

XXXIII. Neque tropum esse in tota propositione sacramentali, liquidò constat, quod omnis tropus, secundum artis Rhetoricae præceptores, sit in una dictione atque in mutatione vocis à nativa sua significatione in aliam consistere doceatur, non in tota propositione. quod non negat, sed nobiscum fatetur, Keckermannus in Syst. p. 445, quando ait: *Sunt nonnulli, qui fatentur, nec in praedicto, nec in verbo copulativo inesse tropum, sed in ipsa connexione predicationi cum subiecto, id est, in ipsa forma hujus propositionis. Verum hec sententia consistere non potest, quia omnis tropus est in verbis, nullus in rebus.* At connexione sive unio extremorum in propositione est res, non vox: unde sequitur, *in connexione tropum residere non posse.* Adde, quod prorsus in nulla parte est, id nec in toto esse potest.

XXXIV. Hinc ita colligimus: Si tropus neque in pronomine hoc, neque in copula est, neque in praedicato corpus, neque in tota propositione est, evidentissimè sequitur, verba institutionis κατα τὸ ἐγράφον esse intelligenda. Sed prius sufficienti enumeratione monstratum est. Ergò & posterius verum est;

XXV. Huic itaque sententiae adhæremus, hoc firmiter retinebimus. *Fieri quidem potest* (verba sunt Philosophi Melanchtonis) *ut alia sententia otioso animo blandiatur,* quæ est magis consentanea humano judicio, præsertim sic instru-

ita & ornata argumentis eruditè excogitatis; sed quid fiet in tentatione? Cum disputabit conscientia, quam habuerit causam dissentendi à recepta Ecclesia sententia. Tunc verba, hoc est corpus meum, fulmina erunt. Quid opponet mens perterrefacti, quibus scripturis, qua voce Dei muniet se, ac sibi persuadet, necessario fuisse hic interpretandam Metaphoram? non satis videntur periti certaminum esse, qui sic delectantur ingenio, ut magis admirantur vafrè cogitationes rationes, quam verba scriptura.

XXXVI. Antequam hinc abeamus, aliquid est respondendum objectioni Calvinianorum, qua regerunt; nos à τῷ ὄγρῳ verborum cænæ plane discedere siquidem corpus & sanguinem Christi IN, CUM & SUB pane ac vino, esse asserimus. Sed sciant nostros verbis illis exegeticis uti, non ut à literali sensu & verborum simplicitate recedant; sed ut Papisticam transubstantiationem damnare atque detestari se probent, & sacramentalem unionem substantiæ panis & corporis Christi demonstrent, atque se nullum tropum aut figuram in propositionibus illis sacramentalibus agnoscere ostendant.

XXXVII. Neque illud præter sacrarum literarum morem, nam & illæ in declarando hypostaticæ unionis mysterio, hujusmodi particulis utuntur. Coll. 2, 9. in Christo inhabitat tota plenitudo deitatis corporaliter. 2. Cor. 5, 19. Deus erat in Christo. 1. Tim. 3, 16. Deus manifestatus est in carne. Act. 10, 38. Deus erat cum eo. In quibus Spiritus sanctus ipse propositionem hanc: verbum caro factum est, per hos loquendi modos explicat.

XXXVIII. Neque istæ particulæ à nostris Theologis in hoc mysterio primò excogitatæ, sed etiam à veneranda antiquitate usurpatæ sunt. Sic enim Chrysost. ait in Lib. de sacerdoti. *Cum illis rebus, que videntur, simul adesse*

adesse creditur corpus & sanguis Christi. Cyrillus in Epist. ad Cœloſyrium: Saeram ejus carnem & pretiosum sanguinem in benedictione vivifica accipimus in pane & vino. Augustinus ad Neophyton: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: hoc accipite in calice, quod de Christi latere effusum est. Et in sentent. Prospcri? Sangvinem Christi sub specie & sapore vini potamus. Et Bernhard, Conc. de Cœna Domini: quod videmus species est panis & vini, quod sub illa specie credimus, verum corpus & verus sanguis Christi est, quod pependit: qui efflexit ex ipius latere.

XXXIX. Et hoc est nostræ sententiae fundamen-
tum, idque adeoque firmum & validum, ut etiam si o-
mnium heretieorum agmen, cum antesignano suo id
oppugnet, nunquam tamen expugnabit, vel efficiet, ut
nos minus huic unico fundamento, verbis Christi inni-
tenti, quam speciosis adversariorum argutiis credamus.

XI.. Unde quoque concordia declaratio inquit,
pag. m. 715. Hæc cum ita se habeant; profectò æterni,
veracissimi atque omnipotens filii Dei, Domini, Crea-
toris & redemptoris nostri Jesu Christi verba, non ut
figuratè, metaphoricè, tropicè dicta aut prolata, in ali-
am sententiam detorquenda sunt: ut nostræ humanæ
rationi verisimilia fiant. Quin potius hæc Christi ver-
ba ut sonant, in propria sua ac perspicua sententia, sim-
plici fide & debita obedientia atque reverentia accipere
tenemur. Neque commitendum est, ut ullæ objectiones aut hor-
minum contradictiones, que ab humane rationis acumine pro-
minant, utcunque humanæ rationi blandiantur, nos ab expresso
ilio Christi Testamento abducant.

XLI. Probata hoc modo Christi voluntate, ex cla-
ris Christi verbis, quibus sui corporis & sanguinis in Cœ-
na promisit præsentiam, addit quatuor alia argumenta

F. C. ex D. Luthero, quibus ostenditur, eum id, quod promisit, præstare, & illis in locis, ubi S. Cœna administratur, corpore & sanguine suo præsentem adesse posse.

XLII. *Primum* his verbis indicatur: Jesus Christus est verus, essentialis perfectus Deus & homo in unitate personæ, inseparabilis & indivisus. Quod ex arctissima naturarum duarum unione pullulat. Cum enim ambæ naturæ in Christo ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως sint unitæ, ita ut unam constituant personam, propter indissolubilitatem & arctissimam naturarum copulationem, aliter fieri haud potest, quam ut ubicunque rectè dixeris, *hic est DEUS*, etiam fateri cogaris, *hic est homo ille personaliter cum DEO conjunctus*. Sed cum Christus Deus in omnibus locis præsens adesse, nec ab ullo loco excludi possit. Ergo etiam Christus homo adesse poterit & aderit, nisi cum Nestorio personam divellere velis.

XLIII. *Secundum*: A sessione ad dextram Dei sumitur, ad quam Christus secundum humanitatem subvenetus est. Cum enim dextra Dei non sit certus, definitus, atque circumscriptus locus, in quo Christus tanquam carcere inclusus detineatur, sed ipsa omnipotentia ac Majestatis Divinæ gloria, Eph. 1,20,21,22. Psal. 110,1. I. Cor. 15,25. qua præsentissimus omnia in coelo & terra gubernat. Atque cum ad hanc secundum humanitatem Christus sit collocatus, ut alibi probatur, liquidò inde consequitur, Christum corpus & sanguinem suum nobis hic in terris exhibere posse.

XLIV. Quamvis autem Zwinglius in lib. de eucharist, sessionem Christi ad dextram Dei, de positione humanitatis ejus in certò quodam loco interpretetur, tamen alii ex ejus complicibus, Sacrae scripturæ luce convicti fatentur, dextram Dei, non certum quendam locum, sed potentiam

summam Christo homini datam significare. Sic enim Calvinus locum ad Eph. 1, v. 20. &c. interpretatur: *Hic locus aperte ostendit, quod significet dextra Dei non locum aliquem, sed potestatem, quam pater Christo contulit, ut ejus nomine cœli & terre imperium administretur.* Et Bucanus in insitut. p. 265. *sessio Christi ad dextram patris, est status ipsius summè gloriosus, vel exaltationis Christi summus gradus, in quem salva naturarum veritate à patre collocatus est, in quo in primis constitutus est, non solum caput Ecclesie, sed rex & gubernator cœli & terra, ut unacum patre omnia regat, tam in cœlo, quam in terra, subjectis illi rebus omnibus creatis.*

XLV. *Tertium: Quod verbum Dei sit verissimum,* neque ullius mendacii argui posuit. Hoc argumentum sumitur à veritate Dei ter Opt. Max. qui neminem fallit, 1. Sam. 15, 29. *quin potius est verax Rom. 3, 4.* Nam quicquid Deus per os Prophetarum & Apostolorum, immo quicquid ipse Christus, qui veritas est, Ioh. 14, 6. credere mandavit, id ipsum pro immota veritate habeamus. At in hoc verbo, vi verborum institutionis, realis & verissima corporis & sanguinis Dominici in coena asseritur praesentia. Ergo credamus.

XLVI. *Quartum: Quod Deus pro infinita sua sapientia varios habeat, noveritque modos, quibus aliquo in loco esse possit, neque uno illo & locali aut circumscripto contentus esse cogatur.* Hoc fundamentum presumptum est ab omnipotenti Dei, qui *summa cum excuperantia potest omnia facere, supra ea, quae petimus aut cogitamus*, Eph. 3, 20 & proinde praestare potest, ut licet non visibili, alio tamen, nobis incognito modo, juxta verbum eius, caro & sanguis Christi presentissima esse possint.

XLVII. Modos autem praesentialiæ Christi in his tergis Concord. Declarat. p. m. 728, 729, verbis D. Lutheri

tres recenset quos hic, ut res manifestior evadat, & assertio hæc nostra plenius intelligatur, referre operæ pretium duximus.

XLVIII. *Primus est ἀπεγιγαντός, & φυσικὸς, comprehensibilis & naturalis, quali usus est Christus, cum in his terris versaretur, Evangelium suum prædicaret, atque certo loco secundum quantitatem suam circumscriberetur. Nec tamen hunc modum planè depositus, sed etiam illo hodie uti potest, quoties ipsi visum fuerit, id quod post resurrectionem suam aliquoties fecit. ut Matt. 28,9. Marc. 16,9. Luc. 24, 31, 36. Ioh. 20, 19. cap. 21, 1, atque in novissimo die tali ratione præsentiae sese manifestabit ut Act. 1, v. 11. angelii testantur. Confer. 1. Tim. 6, 14, 15. Coll. 3, v. 4.*

XLIX. *Hic probè notandum, juxta hunc primum modum, Christum non esse in DEO, aut apud patrem. Deus enim non est locus corporalis. De hoc igitur modo agitur in illis scripturæ dictis, quæ à fanaticis hominibus adferuntur, quod videlicet Christus mundum relinquere, scil. quoad externam & visibilem conversationem in mundo, Ioh. 16, 28. Sic & locus Luc. 24, 6. intelligendus: surrexit, non est hic; hoc est, non amplius mortuus jacet hic in sepulchro. Item dictum Matt. 26, 11. Argumentari itaque à certò modo absentiæ ad omnimodam absentiam est, valde inconveniens.*

L. *Secundus est ἀπεγιγαντός, cum videlicet Christus corpore suo, alicubi esse potest, ut loco non circumscribatur sed, per omnes creatuas penetret pro liberissima sua voluntate, quemadmodum (ut crassa quadam si militudine rem utcunq; adumbrem, ait Lutherus) sonus per aquam, aerem, afferem aut parvem translit, & in iis rebus est, neque tamen loco circumscribitur. Eodem mo-*

do Lux & Calor per aërem, aquam, vitrum; crystallum & per similes materias penetrant, & in iis rebus sunt; nec tamen loco circumscribuntur.

LI. Hoc incomprehensibili modo usus est Christus cum resurgens è sepulchro clauso & obsignato prodiret, & quando per januas clausas ad discipulos ingrederetur, & sicut est in pane & vino Cœnæ. Quo modo etiam creditur de sanctissima virginе Maria matre sua natus esse.

LII. Tertius est planè ὁ ὅγις @, καὶ μὴ πεφυκὼς ὅγιζος secundum quem cum DEO una est persona. Et ea ratione creaturæ, longè illi præsentiores & penetratu faciliores sunt, quam juxta secundum modum. Si enim, juxta modum illum secundum, potest esse in creaturis, & apud creaturas, ut tamen ipsum non sentiant tangent, circumscribant, aut comprehendant: multò profectò magis secundum hunc tertium, admirandum, sublimem modum, in omnibus creaturis, multoque mirabilius erit, ut ipsum non includant, circumscribant aut comprehendant: sed potius ut ipsas præsentes habeat, circumscribat & comprehendat. Hunc enim præsentia Christi modum, quem ex unione personali cum Deo habet, longissimè extra creaturas, quam longe videlicet Deus extra creaturas est, ponere te oportet.

LIII. Qvare cum Christus plus quam uno modo præsens adesse possit, non nostrum est, ei hinc potentiam præsentem esseendi in cœna ad mere, quia primo illo modo ibidem præsens non adest. Ut enim sine dimensione quantitatum, aut inclusione, lapidem & fores clausas penetravit: ita etiam in cœna spirituali, id est, supernaturali, cœlesti & nobis incomprehensibili modo sub speciebus panis & vini præsens adesse potest.

LIV. Hactenus vidimus quid nobis in Sacra Cœna exhibeatur, ubi ostendimus, Christum in verbis institutionis, Corporis sui veram præsentiam promisisse, & id quod promisit, præstare posse. Nunc alteram propositi status quæstionē, huius sacramentalis epuli CON VIVAS ostendentem, aggrediemur, quam hisce verbis Concordia pulchrè explanat: *Credimus, docemus* & confitemur, *quod non tantum verè in Christum credentes, & qui dignè ad Cœnam Domini accedunt; verum etiam indigni & infideles verum corpus & sanguinem Christi sumant, ita tamen, ut nec consolationem, nec vitam, inde percipient, sed potius ut illis sumptio adjudicium & damnationem cedat, si non convertantur & pœnitentiam agant.*

LV. Hic probè observandum, quinam vocabulo *indignorum* veniant. Piscator & Zanehius per indignos intelligunt in fide infirmos & piros, qui se non satis probant. Verum falso! Siquidem 1. Languida & infirma fides Christum etiam apprehendit: 2. ille arundinem quassatam non frangit, & Ellychnium fumigans non extinguit, *Esa. 42, 3.* sed virtutem suam in infirmitate nostra perficit, *2. Cor. 12, 9.* 3. Quomodo id convenit dicto Christi, qui *Matt. 17, 20.* dicit discipulis, *ipsos montes evertere posse, si habeant fidem tantillam, quantum est granum sinapis.*

LVI. Nos eos INDIGNOS nominamus, qui sine vera pœnitentia & contritione, sine vera fide & bono proposito ad Cœnam Domini accedunt. quamvis autem ore fidem quandam profiteantur, opere tamen ipso eandem abnegant, dum in hypocrisi & delictis contra conscientiā perseverant, & hoc sacrosanctissimo epulo eum tantum in finem utuntur, ut speciem quandam exterioram pietatis edant.

L.VII Hos impoenitentes & indignos, æquè ac verè dignos,

dignos, verum ac substantiale corpus & sanguinem Christi in Cœna accipere, concordia orthodoxe statuit, licet utrorumque eventus maxime discrepet. Pii enim hinc solamen & fidei confirmationem, impii verò dolorem & interitum reportant.

LVIII. Hanc sententiam Form. Concordiæ firmissimè munimus, unico illo Paulino dicto, quod 1. Cor. 11, v. 27, 29. Ita sonat : *Si quis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Nam qui edit & bibit indignè, iudicium sibi ipse edit & bibit, non dijudicans corpus Domini.*

LIX. Quibus verbis Apostolus meridiana luce clarius ostendit, eos qui indignè de hoc pane (*qui est novissima via corporis Christi* 1. Cor. 10, 16.) edunt, & de calice benedictionis (*qui est novissima sanguinis Christi*) bibunt, non tantum terrestrium & externorum signorum atque symbolorum, aut figuræ corporis & sanguinis reos fieri; sed ipsius corporis & sanguinis Jesu Christi.

LX. Hinc talis efficitur syllogismus : *Quicunque manducando de pane benedicto, & bibendo de calice benedicto, rei sunt corporis & sanguinis Christi, illi revera corporis & sanguinis Christi sunt particeps. At indigni manducando de pane benedicto, & bibendo de calice benedicto, rei sunt corporis & sanguinis Christi. Ergo.*

LXI. Insuper nostra sententia confirmatur inde, quod corpus & sanguinem Christi in Cœna etiam Judas proditor acceperit, quia Matthæus testatur, Cœnam primam celebratam fuisse à duodecim Apostolis, Matt. 26, 20, quibus dixerat v. 26, *accipite, edite, hoc est corpus meum: Bibite omnes.* Et Marcus. cap. 14. v. 13, expresse scribit : *Biberunt ex eo omnes.* Quod elegantissimis verbis magnum illud Ecclesiæ antiquæ lumen expressit, quando ait con-

1532

tra fulgent. lib. 9. Iudas preditor bonum Christi corpus, & Simon magus bonum Christi baptismum percepit, sed quia bono non bene sunt usi, mali male utendo sunt delicti.

LXII. Quoniam igitur illud, quod ad sacramenti integratatem pertinet, accendentis indignitate atque incredulitate non evacuatur, teste ipso Zanchio in Confess. p. 156. & corpus & sanguis Christi ad integratatem sacramenti pertineant, confitente Beza Vol. 1. Fol. 147. Firmiter E. concludimus, quod unum & idem sit corpus Christi, unus idemque sanguis Christi, quem pii atque impii ore sumunt, secundum verba testamenti: Accipite, manducate, bibite. Requie proinde cum Ecclesia canimus: Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inaequali, & qui sumuntur, non consumuntur. Atque haec de Thesi: cui antithesin breviter subjungemus.

A N T I T H E S I S.

LXIII. Post Orthodoxæ doctrinæ cœlestem veritatem, ex sacro sancto Israelis fonte haustam & probatam, Pontificiorum & Calvinianorum errores aliquot, quos Concordia nobis monstrat, paucis recensēbimus.

LXIV. Reiciimus itaque & damnamus sequentes Pontificiorum errores 1. quando fingunt panem & vinum in S. Cœna, substantiam suam penitus amittere, atque in substantiam corporis & sanguinis Christi converti: ita quidem, ut sola externa species panis & vini, sive accidentia sine subjecto, reliqua maneant: Transubstantiationem isti nomenant, figmentum vocis figmento mentis aptantes.

LXV. 2. Quando fingunt in missæ sacrificio, corpus Christi sub specie panis pro peccatis vivorum & mortuorum offerri: contra Christi institutionem, & ejus cruen-

eruentum sacrificium , qui semel se patri in ara crucis obtulit, & peccata plenè expiavit, æterna redemptio inventa , Hebr. 9, 12, c, 10, 14.

LXVI. 3. Quando contra expressa verba testamen-
ti, contra praxin Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ ;
unam Cœnæ partem , videlicet Calicem, laicis denegant.

LXVII. 4 Qvando tradunt , dignitatem Conviva-
rum in hac cœlesti cœna, non tantum in vera fide; verum
etiam in Propria hominis præparatione consistere.

LXVIII. 5. Qvando externa illa symbola in Sacra-
mento adoranda esse, manifesta idolatria affirmant.

LXIX Calvinianorum quoque non paucos erro-
res F. C. reiicit & damnat p. m. 585. & seqq. quos o-
mnes improbamus. Nos ex multis compendio hos
recitabimus, dum docent 1. Verba testamenti Christi,
non simpliciter, ut sonant, accipienda esse; doctæ lingvæ
Magistrum reformantes.

LXX. 2. Christi corpus fide solùm , nec ore simul
accipi : contra illud Christi, Edite , Bibite.

LXXI. 3. panem & vinum non esse media , quæ
exhibant ipsum corpus & sanguinem Christi, sed esse
partim symbola seu tesseras , quibus Christiani mutuo
se agnoscant, partim figuræ & typos corporis & sanguini-
nis Christi longissimè absentis. Cur ergò, si hæc tua
mens, id non dixisti , ô Christe? Cur jubes nos accipere
illud corpus , quod pro nobis in mortem traditum est?
cur jubes bibere illum sanguinem, qui pro nobis effusus
est? non typicum aut figuratum,

LXXII. 4. Christi corpus post assensionem tantum
in cœlo esse, nec in Cœna & cœlis simul præsens adesse.
Lmites hic tuæ omnipotencie , ô Christe, figunt.

LXXIII: 5. Indignorum manductionem, contra
Pauli manifestissima verba, 1. Cor. 11, 29. negant.

LXXIV. Improbamus & detestamur hos & consimiles execrandos errores, & te Domine Iesu Christe rogamus, ut sanctifices nos in veritate tua;

Sermo tuus veritas est, Job, 17, 17.

Soli sapienti Deo gloria per Iesum Christum in secula Amen. Rom. 16, 27.

Praeflantissimo atq[ue] Doctissimo Inveni Domino
L A U R E N T I O I. H I N S B E R G I O
 bonarum literarum sectatori indefesso: de Sacra Cœ.
 na pie & orthodoxe disputanti, Amico & con-
 terraneo suo colendo, hisce paucis celerrimâ crenâ
 apposuit,

Hercules Heros aliquando parvus
 Cogitat, doctus, sapiens, honestus,
 Clarus, ut tandem fieret, peritus
 Atque modestus.
 Tum duas vidit vario colore
 Feminas. Virtus fuit & voluptas,
 Hæc puellarum comitata cœtu,
 Talia fatur:
 Hercules trado tibi si vis esse
 Iam meus servus, varios honores,
 Atque opes multas, Venerem, Lyæum,
 Omnia Læta,
 Virtus ast illis, macilenta, simplex,
 Venit & dixit: vario labore,

Si meus servus cupis esse vives
 Pauper & æger,
 Ecce mercedem tibi trado magnam
 In beatorum dominibus, regessit
 Hercules semper tunc esse Servus
 Opto libenter,
 Omnibus rebus fuit aptus Heros,
 Scripta demonstrant onomasticorum,
 Talis evadis, quoniam labore
 Omnia vinces,
 Mains HINBERGI meliusque nomen
 Accipis, docte Sacra dona morisfrans,
 Vera LAURENTI capies profecto
 Laurea dona.

P E T R U S M A G N I G Y L L E N I U S .
Wermel: